



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Observationes in Cap. X. De in integrum Restitutione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

Cap. V. Lib. I. Argumento conveniat, nec non Cap. X. *ibid.* de Reconvensione; nam hæc ad Reum pertinet: præterea, cum Judex Actionis, sit Judex Reconvensionis; Exceptio & Actio eundem Judicem habere debent. Animadversio hæc confirmat REG. II. quæ de Exceptione dicit id, quod de Reconvensione dictum fuit, loco laudato.

Duæ Exceptiones, quæ leguntur hac in REG. item eæ, quæ sunt in REG. XIII. XIV. XV. XVI. monent, revocandum esse in memoriam id, quod alibi fuit notatum, Autorem sumere verbum *Exceptio*, modò prout significat defensionem in Jure propositam; modò prout significat casum in Regula non comprehensum.

REG. III. VII. VIII. XI. XII. desumptæ sunt ex REGULIS VI. XX. XXXII. XXXVI. LIX. LX. LXIII. LXXI. *Trigesima Secunda* est fundamentum *Septuagesimæ primæ*; nam si is, qui admittitur ad Actionem, admittatur ad Exceptionem, id fit quia nihil conceditur Actori, quod Reo non liceat. Utraque autem desumpta est à Regulâ dicente, Reum esse favorabiliorem, quàm Actorem.

REG. XXXVI. & LIX. respiciunt dolum: Prima fert, pro Possessore haberi eum, qui dolo desit possidere: alia fert, dolosè agere eum, qui petit rem, quam se restituere debere scit. Prima opponi potest ei, qui Actionem eludere tentat per fraudem: Posterior adhiberi potest adversus omnem petitionem injustam; puta Fœneratoris usuras exigentis; Hæredis petentis debitum, quod Testator eum exigere vetuit.

REG. LXXX. sumitur ex iis omnibus, qui docent, licitam esse Defensionem, & favorabilius admitti, quàm Actionem; inde enim sequitur, eum non esse in morâ, qui justa Exceptione utitur.

Hæc generalia principia circa Exceptiones utilia sunt.

Observare opus est in REG. XIII. quòd, ubi agitur de Factis, quæ sciri debent, idem sit de ignorantia Facti, ac de ignorantia Juris, quæ non excusat, nisi invincibilis sit, & magis aut minus culpabilis est, prout magis aut minus voluntaria est; porrò, si quis velit ignorantiam in seipsâ, ut non faciat bonum, hæc magis voluntaria est, quàm si eam velit solum in ejus causâ, nempe, negligentia aut desidia.

Quod ibi dicitur, ignorantiam Juris excusare Feminas & Milites; producendum est ad Personas rudiores, in quibus defectus intelligentiæ, justa est ignorantia causa. Ignorantia probabilis, & ignorantia invincibilis, hæc eadem sunt; sicut ignorantia supina, & ignorantia vincibilis. Hæc Exceptio necessaria est, ad preveniendum errorem. REG. XIV. respicit cessationem, seu extinctionem obligationis, per contrariam voluntatem. De solutione agitur in REG. XV. quæ ad hoc reducitur; quòd solutio totalis Creditori facta, obligationem integram perimat; partialis, partem solum extinguit: cui adjiciendum est, quòd, si Debitor plures summas æquales eidem personæ debeat, & solvendo unam ex iis, non determinet, quodnam debitum solvere intendat; neque etiam Creditor illud in APOCHâ suâ determinet; debitum durius & strictius extinguitur; v. gr. illud, quod debetur sub pœnâ; tum illud, quod debetur sub pignore; deindè illud, quod nomine suo cavit; denique, id, pro quo fidejussit, aliàs illud extinguitur, quod determinatum erit vel à Debitore, vel à Creditore ex consensu Debitoris: si debita alia aliis strictiora non sint, vetustius extinguitur. Vide *Notas Juris Gallici in Institut.* supra laudatas.

Exceptiones & Replicationes cum suis Duplicationibus inferi possent REG. XVI. amplitudinem suam adeptæ, quæ respicit Exceptionem Rei Judicatæ; quæ non habet locum, nisi cum Judicium validum est, ac definitivum, in eaque actum fuit de obligatione, adversus quam opponitur: aliàs res ju-

dicata non est, & proindè Judicium non potest obligationem extinguere. Iis, quæ hic dicuntur ab Autore de re judicatâ, jungendum est CAP. XX. LIBR. II. eidem Argumento respondens.

REG. XVII. juncta REG. XI. docet, quòd, re sine culpâ Debitoris pereunte, ejus interitus extinguit obligationem; porrò, Debitor est in culpâ, si rem non restituerit post petitionem in Jure factam, nisi justas habuerit ejusdem non præstandæ causas.

REG. XVIII. est sequela REG. V. si defensio concedatur Excommunicato, oportet, ut, si ab eo exigatur id, quod debet, excusare se non possit à comparando, idè quòd sit Excommunicatus; vel, si comparet, Creditor ipsi Excommunicationem objicere non possit. Prior sensus magis accedit ad Cap. 34. de *Sent. Excomm.* laudatum, & ad Cap. 5. de *Excepti.* quod laudari potest; in quibus legitur, gratiam Excommunicato, ad ipsius defensionem concessam, vergere non debere in præjudicium Actoris.

Discrimen, quod REG. XIX. constituit inter Debitorem Laicum, & Debitorem Ecclesiasticum, attentionem meretur; nempe, hic in carcerem mitti non debet ob æs alienum, sufficit, ut cum Jurejurando caveat, se soluturum, cum poterit; ille autem in eodem casu mitti potest in carcerem. Eandem attentionem meretur id, quod utrique commune est: nempe, paupertatem non extinguere obligationem, sed auferre solum facultatem solvendi.

REG. XX. pœna lata adversus Creditorem, qui vim Debitori suo infert, æquissima est, scilicet, amissio debiti. Idem est de Exceptione, nempe, Debitor ab illâ pœnâ immunis est, si vis sine jussu ipsius adhibita fuerit: addendum est, modò non approbet id, quod suo nomine gestum erit.

REG. XXI. oblatio pignoris non liberat Debitorem à persecutione Creditoris.

#### OBSERVATIONES in CAP. X. de IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

Autor hic de Restitutione in integrum disserit, quia locum habet præcipuè in Obligationibus, quæ præcedunt. Quod de iis dicit, in omnem Actum, in quo læsio sit, extenditur, Judicium, Transactionem, Donationem, Resignationem, Permutationem Officii, aut Beneficii, aditionem Hæreditatis, & plures alios, qui expositi fuere in *Libris præcedentibus*.

Omisit in REG. I. Exceptionem memoratam in Cap. 9. de *Restitut. in integr.* GREGORIUS IX. postquam dixit, Judices, qui non habent Administrationem, eorum Delegatos, & Arbitros, non posse noscere de hac Restitutione; adjicit, *nisi incidens sit*.

*Exceptio I.* REG. II. respicit Impedimenta legitima petendi Restitutionem tempore præstituto. Cùm dicit REG. IV. Absolutionem à Jurejurando esse speciem Restitutionis in integrum, loquitur de casu, in quo Contractus obligat solum ratione Juramenti.

REG. VI. quæ dicit, Socio Majori, Minoris, non prodesse restitutionem, quam hic impetrat, æquissima est: nam ratio privilegii Minoris, locum non habet quoad talem Socium. REG. ult. non convenit Argumento; nam loquitur de punitione Clerici, qui cessionem Rei Litigiosæ, per fraudem sibi fieri procurat.

#### OBSERVATIONES in CAP. XI. de Verborum significatione.

Quoad Expressiones Juris, & speciatim Clausulas, perficere debuisset id, quod executus est circa Verba, illas ordine alphabetico digerendo; & nedùm indicaret Textus, qui expositionem continent, hæc referenda erat. *Expressiones à Verbis* distinximus in REGULIS circa Verborum significationem.